PANEGYRIS
IN
Excellentissimum Dominum
DOMINUM
HENRICVM CROMVVELLUM,
Deputatum
HIBERNIÆ,
Cancellariumque Academiæ
DUBLINIENSIS.

AUTHORE
Cæsare Williamsono S. T. P.
& Orat. Acad. Dubl.

DUBLINII,
Typis Gulielmi Bladen, *Ao Dom.* 1658

Aden Ware

Leabharlann Náisiúnta
National Library
11 JUL 1955
Na hÉireann

LIBRARY

HONORATISSIMO;
Eruditissimoque Domino
DUDLEIO LOFTUSIO,
Juris utriusque Doctori,
Summæque Cancellariæ in
Hibernia Magistro, *&c.*

Honoratissime, Colendissimeq; D. Dr Loftusi,

NEscio jam obedientiam meam, an crimen amoris putem, quod jussus à te de Principe excellentissimo *Hiberniæ* Deputato, quoquo modo possem, scribere, paruerim. Fidem publicæ

Clementiæ! circumventus ſum. Nunquam putabam fore, ut in lucem prodirem, méque coram difficillimo judice populo reum confiterer, ſed tantùm morituras in umbra, inter ſecreta tui otii, & domeſticos luſus, cogitationes meas ſpargerem.

Miſeremini Lectores, nè majorem Principem non putetis, quàm hîc apparet. Exiſtent brevi, qui ad illum ornandum doctarum mentium conferent curas, in quorum Literis Linguiſque ſui ſimilis ſpirabit. Non, ſi adhuc repentinâ & attonitâ admiratione ſtupet ſæculum, non aliquando ad pœnitentiam inertiæ ſuæ excitabitur. Inſtat dies, cùm plena notitia Deputati inter communia erit, non paucis purpuratis tanquam Rep. ſecretum.

tum. Nullus locus erit, nulli rebus vitam dare periti artifices, qui non aliquo illius monumento famam ſibi quærent, & ſolatium. Ejus vultu picturæ noſtræ ridebunt, aliorum lætitiam ſuæ miſcentes: parietes ornabuntur: in *Imagines* ejus venerandos oculos pietas conjiciet, ſuperſtitio ſanos: In foro conſpectus oratoribus conciliabit gratiam. In Templis reverebuntur eum, etiam qui non adſpiciunt. Quòd ſiqua fuerit in molliore ſexu affectuum dulcedo, ad imaginationem pulcherrimæ Virtutis blandior, eum in ſinu geſtabunt, ex eóque nunc odorato, aliàs tacto, delicias ſibi innocentes facient, dein gaudia ſua ad oculos tranſmittent variatâ voluptate, & terent eum in articulis,

& in gemmis agnoscentes de pretio desinent queri.

Interim scripta tua Orientalia efflagitamus, atque ad illa expectatione pleni, (quod olim in sacris fecimus) ora atque animos convertimus, tanquam ad illam mundi plagam, à quâ lucis exordium est. Hinc opinor Deputatum Dedicatio nova petet. O quantum Principes iis debeant, quorum solerti indagatioue scierint, unaquæque natio quid fecerit unquam, quid scripserit, quid locuta sit? Quantum rursus Principibus debetur, qui ad se majoribus negotiis occupatissimos pertinere hæc credere dignentur! Detur hoc mihi igitur, & ignoscat Deputatus Excellentissimus, scriptorum meorum vix è tenebris emergens,

gens, quem in Linguarum tuarum Oriente fulgentiſſimum, erudita devotio longè latéque celebrabit. Proinde diſcant gentes illæ, quantum tibi imputent, à quibus diem accepimus, lumen reddimus.

Quid quod Reverendiſſimus Procancellarius Hiſtoriam molitur? hîc Deputatus quantus & qualis ſit, cernetur. Non modus notitiæ ex parte fiet, totus apparebit. Nemo clariùs Cancellarium, quàm in Procancellarii ſpeculo viderit. Videre videor eruditiſſimam ejus manum, non ſimulatis coloribus, ſed veris luminibus laborantem in *Hiberniæ Picturâ*. Vah! cujus tam beata ſit, in umbrarum luminúmque compoſitione, tam potens manus, quæ *Hiberniæ* nobis pingat

gat varium mutabilémque vultum? quam rebellione suâ toties perituram, toties divina misericordia servavit. Reverendissimus Procancellarius pinget: Ille induet convenientem materiæ affectum. Incendia, signanda sunt? ardebit; victoriæ? triumphabit: & pariter quæcunque sors fuerit, versatili ad omnia arte, ut non rem gestam esse, sed ut gesta sit, videatur.

Sed utcunque quæ videri possint, aptâ figuratione ad oculos perduxerit, & impleverit scenam fusis per domos, & templa flammis, stratis per incultos agros cadaveribus (nam hæ segetes erant, decebat Rebellionem talis messis) Dei auxilium quibus coloribus, quo pigmento ejus Justitiam erga *Hiberniam* assequatur.

Porro

Potro illa quæ pertinent ad consilia Ducum, & quæcunque alia, quæ præsentis animi erant, non consilii, significaturo quis credet, nisi pinxerit in Tabellâ suum oculum, quo vidente omnia gesta sunt, gladium, quo adjuvante perfecta?

Longè adhuc aliquid difficillimum. Nam hæc præterita sunt. Illud ingens futurum quod pauci nolunt, plerique & saniores desiderant, ostendat dilucidè & apertè, sine ingenioso argumento veli, nemo utique non artis ejus divinitatem confitebitur.

In qua verò parte tam formosi operis inveniemus Deputatum? nempe in capite HIBERNIÆ. Hæc erit suprema linea. Hîc Opus luxuriabitur, hic Colores suos sparget, & per

mille

mille virtutis imagines permiſtis popularium gratulationum omnibus affectibus, majeſtate & gratiâ manus artifex volabit. Sic pretium augebitur. Deputatus opus ornabit, Deputatum opus, & mutuis amplexibus circa veritatem gloria ſerpens propagabitur. Vbi tunc exanguia hæc noſtra, ſine lepore, ſine motu? nemo vel aſpicere tanti putet.

At hinc nova perſuaſio periculi. Quid ſi Deputatus ipſe non hæc ferat? Nam lædi majeſtatem vulgari eloquentia: ſed & accuſari ſe, qui tam tenuiter laudetur. Neſcio an ſic excuſer: Religione feci quicquid feci, non ambitione. Huic nihil ſatis eſt: illi quicquid datur magnum eſt. Novimus parva ſæpè offerentibus animalia

Deum

Deum propitiatum, eúmque ſuffitu ſupplici acquieviſſe, ſæpè ingentes victorias, vix credibiles ipſis qui eas adepti erant, regnaque & quicquid in ullo mundo eſt, inter præmia fuiſſe ignobilis fumi cum ſanctimonia oblati.

Nam quæ Nobiliſſimus Secretarius Dr Petty de laudibus meis quaſi cohortando ſcripſit, (ut audio) movent me illa quidem fateor, vix ſatisfaciunt tamen. Nam cùm ille antiquorum diſciplinis non contentus, in Mathematicis compendia monſtravit, quædam circa ſyderum curſus, circa ſanguinis humani auſus novare, omnibus corporibus leges daturus & in cœlo & in terrâ, ut decet novum naturæ dictatorem: quod me, inquam, pro-

priè

prie tangit, illud est, quòd ad veterem Philosophiam adjecit illud mirabile inventum de *Duplici Scriptione*. Hinc vereor, omnibus, præsertim quæ favore scribat, an simpliciter credendum sit. Quid si, quod fecit in dividendâ militibus *Hibernia*, eâdem ratione ûlus sit in me laudando? an præclarum putem, si non sim solito ejus, quo viget, judicio, sed *forte* laudatus? sed utcunque sorte meâ contentus sum. Det Deus, ut cæteri omnes idem faciant, neve *Hiberniam* illius tantâ ingenii celeritate, Dei benignitate uno anno divisam, per novas discordias vel civiles vel Ecclesiasticas eandem iterum dividamus.

Cæterùm omnis in te Honoratissime D. Lorrusi, veniæ meæ spes est.

Si

Si unquam viduæ miſertus ſis, ſi egentis ope pupilli lachrymas innocenter fuſas, vel manu tuâ abſterſeris, vel linguâ eloquentiſſimâ ſiccâris, alioquin in cœlum caſuras, reſpicias hæc pericula, eſt quædam apud barbaros afflictæ pietatis miſericordia: & niſi *Curiam* tuam, niſi *Tribunal*, niſi & nos etiam reos, non ad miſericordiæ tuæ materiam, ſed ad ſeveritatis ambitum conſtitutos putes, cauſam meam explices rogo & obteſtor. Noſti vires tuas, mundi conſcientiam appello, ſi negaveris. Scribe ſaltem duobus verbis, ſive in nota lingua, ſive facilius putes ſub hoc ſole ſcribere, quod ſub altero intelligatur. Soles ſic, ut homines exclament *Tanto melius*: potes ita quoq; ut hiantes ſciſcitentur *Quid hoc?* Pleriſq;

ju-

jucundiſſimus eſt quotidianus eloquentiæ tuæ panis, cæteri *Manna* tuum admirabuntur. Hi ſunt, quibus in ſcriptis tanquam in conviviis, peregrini ſaporis gratiſſima commendatio eſt, & quicquid neſciant, optimum putant. Nemo unquam potentius rogavit. Periclitor, alumnus ſum diſciplinæ tuæ; poſſum alios, te ſolùm advoco. Addo jus eſt, cauſam feciſti, defenſionem præſta. Denique quam formulam mihi nunquam niſi fides optima quam tibi debeo expreſſit, maneo & quoad vivam manebo,

Reverendiſſime, ampliſſimèque D^ne

Reverentiæ veſtræ addictiſſimus,
fideliſſimus, humillimus,
Cæſ. VVilliamſon.

PANEGYRICUS
In Excellentiſſimum Dominum, Dominum *Henricum Cromwellum*,
Deputatum HIBERNIÆ, Cancellariúmque Academiæ *Dublinienſis*.

SI nunquam tam probabilis, tam juſta ſuſpicio ſit venturi è cœlo fulminis, quàm in mediâ tranquillitate & lætitiâ, quum DEI benignitate, ingentibus beneficiis, mortalium vota ſuperentur: Neſcio an expectationem veſtram decipere deberem, meíſque lachrymis hanc extinguere lætitiam, quæ major eſt, quàm ut videatur ſecura eſſe poſſe & diuturna.

Eſſet hoc novum & inopinatum dicendi genus, ſi bonum principem cum lachrymis laudarem. Non ſic Trajanum ſuum Plinius, non ſic Theo-

doſium Latinus Pacatus; quorum Orationes fragoribus, atque plauſibus, læta auditorum admiratio proſecuta eſt.

Quin ſuperet igitur antiqua conſuetudo gaudii, præſens expectatio. Video in oculis veſtris exundantem lætitiæ magnitudinem: undique circumfluit, alacris omnium, ac beata devotio. Hæc humana ſunt, quibus moveor; illa majora. Videor videre veluti tot divinos genios ambulantes in aulâ. libertatem Hiberniæ, exemplum Angliæ, ſpem poſteritatis, ipſam Imaginem excellentiſſimi Deputati, animis magis noſtris, quàm oculis infixam, non imperantem gaudia, ſed facientem. Quod ſi apud vos tantùm, Auditores, dicturus eſſem, mortalis mortalium aures impleturus eſſe videar. Jam verò cùm illi adſint, quos modò dixi: cujus tanta eloquentia eſt, quæ in expectatione cœleſtium, munus ſuum explere poſſe videatur.

Nihilominus quoniam illud me potiſſimùm ad dicendum impulit, quod ut dicerem, nullus adigebat: cúmque laudaturus ſum principem qui laudari non deſiderat: de quo dicentibus tam honeſtum eſt, vera prædicare; quàm alios laudantibus periculoſum eſt non falſa dicere: libet vela dare, & quacunque flatus oſtenditur, perielitari curſum, non quæ dici poſſint omnia explicando, ſed quæ præteriri nullo modo poſſint. Interea

vos

vos orationem meam lætis affectibus, & bonis omnibus, adjuvetis, ut apparet lætitia nostra, non ingentior esse quam verior.

Primum mihi reticendum est, ut nihil de Deputato nostro ita dicam, ut idem illud de alio dici potuisse videatur. Taceo quod sit in sermone affabilis, in convictu splendidus. Magna hæc cum sine arte fiant, sed in illo non magna. Nec se admiratio nostra in ejus gestu continebitur, nec incubimus ejus vultum, ad severitatem imperii cum suavitate temperatum, in quo privata modestia cum publicâ majestate certat.

Hæc aliis in suo principe pro materiâ laudationis essent, quippe adulatio quibuslibet contenta est. Laudat Cytharædos principes, laudat aurigandi & pingendi artifices, formosos, elegantes, qui armati saltant, pugnant inermes, nec nisi ad speculum de republicâ consultant. Nam necesse est, ut in principibus non virtutem adeptis, horum similia laudentur, desperatione meliorum.

At verò in Deputato nostro Excellentissimo, cum tantam magnitudinem animi cum pari fortunâ innocenter conjunctam cernimus: cum in summis opibus liberalitatem, non avaritiam: In securitate innocentiam, non libidinem: quem amicitia non infidelem experta est: non gloria superbum, non imperium crudelem: quo denique vix triennio præsidente, rediit cultus agris, sacris

honos, ſecuritas hominibus, certa cuique rerum ſuarum poſſeſſio, & quâ nulla res pretioſior eſt, certa cuique conſcientiæ ſuæ poſſeſſio: in tantis ejus virtutibus, tantâque melioris in homine partis gloriâ, ineptus eſſem, ſi à bonis corporis laudationis materiam emendicarem.

Novimus Deputati verecundiam; dedignatur hæc in laudum ſuarum parte conſtitui, quæ ſolebant alii ſola laudare.

Patiatur tamen de alio dici, quod in ſe non agnoſcit. Ad Theodoſium igitur converto orationem meam. Audi Auguſte, audi iterum, quod olim ab Oratore tuo dictum, ſalvâ verecundiâ tuâ auditores comprobârunt. *Virtus tua meruit imperium*: ſed virtuti addidit forma ſuffragium: Illa præſtitit ut oporteret principem fieri, hæc ut deceret.

Redeo ad illuſtriſſimum Deputatum: Hîc appello judicium veſtrum Auditores, ecquod inter noſtræ mortalitatis umbras, præclarius argumentum ad famam eſt, quàm iis parentibus ortum eſſe, quorum eſt vel in civibus tuendis, vel in vicinis Regibus juvandis, hoſtibus cædendis, pervagata & illuſtris fama meritorum?

Demus hoc Deputati generoſæ verecundiæ; nihil hîc audiet de ſuis virtutibus: quieſcat & aliquantiſper ſedeat in umbrâ, quod ſolent ii, quibus gloriæ, tanquam ſolis, nimius fulgor ingratus eſt:

quid

quid ergo? etiamne in commemorandis Sereniſſimi parentis ejus immortalibus factis, ulla modeſtiæ offenſio pertimeſcenda erit? à quibus? obſecro: an Batavis? quorum claſſium naves magno pelagi ludibrio diſſipavimus, ſubmerſimus, cepimus: Damnatiſque infœlicis ſoli ſterilitati penè eripueramus ipſum mare, undique terroribus injectis, vel naufragii, ſi in mari manſiſſent, vel exilii, ſi domum in patriam revertiſſent.

Hoc gratiſſimum Hiſpanis, non quia favent victoriis noſtris, ſed Batavos oderunt, nullis armis contra illos ſumptis fœlicitatem invident. Intolerabilius hoc illorum odium eſſet, niſi quòd mutuum ſit. Quocirca Batavi minùs iniquè tulerunt arma noſtra: quæ mox Hiſpanis exitio fore præſagiebant. Hiſpanis autem naufragia ſua ideo leviora viſa ſunt, quod idem paulò antè feciſſemus Batavis. Fortitudinem hìc, an Auguſtiſſimi Protectoris æquitatem, plùs miremur? Inter duas gentes, atrociſſima bella majoribus odiis gerentes, hoc temperamentum invenit, ut præliis navalibus profligaret ambas, nè alterutris diſpliceret. Quanquam hæc Deo, non Protectori, aſſignanda ſunt. Pugnat Protector, vincit Deus: Protectoris arma ſunt: Dei conſilia, referentis ad Eccleſiæ ſuæ ſalutem omnia.

Hinc ſciamus hoſtes Eccleſiæ nuſquam tutos eſſe. In quacunque mundi parte exercitus noſtri

militant, Papa quæritur, Papa deposcitur ad supplicium desperatâ emendatione. Deus non tempora præscribit, non loca; Deus Serenissimum Protectorem docuit novam viam expugnandi apud Indos Romam, novam viam Ecclesiam in mari reformandi.

Usque adeo Protector Dei imagine exornatus est, ut non solùm quæ sub manu sunt, administret, sed cum iis deliberet, quæ procul sunt, cum iis, quæ non sunt, remotissima conjungens, & in præsentibus futura disponens.

Quid Gallia, quid Suecia? quid alia complura regna? in vicinas longeque dissitas gentes Serenissimi Protectoris vel arma penetrarunt, vel legationes; ut intelligat universus orbis, ejus in faciendo bello & pace, non minorem summis imperatoribus esse gloriam.

Hæc externa. Excutiamus Annales Regum nostrorum sacrosancto situ obsitos, ut domesticis comparationibus appareat, quantum gloriæ culmen fateantur Protectori Augustissimo deberi antecedentium Regum virtutes inferiores.

Fundavit Ecclesiam Edovardus sextus. Divinum opus! utinam perfecisset.

At istam Ecclesiam veram potiùs dixerim, quàm puram, sed quod recèns natis contingere solet, adhuc in cruore suo volutatam, non sale conditam, non secto ceremoniarum umbilico: ut vel

hinc

hinc citò cum Romanâ Eccleſiâ conveniendi metus fieret, citò redeundi tanquam in calentia adhuc priſtinæ matris viſcera, propter commercium, quod Ceremoniarum quodam quaſi ſanguine alebatur, non quæro an ſalubri, ſuperſtuo certe. Hoc vel in bonis etiam nocet. Ut illam Eccleſiam à puero dicas, noſtram à viro reformatam.

Edovardum Maria ſecuta, quid aliud fecit, niſi ut fidem quam frater induxerat, ipſa ignibus, omnibúſque ſuppliciis exploraret: Edovardus ſanctos fecit, Maria martyres; Edovardus aurum, Maria fornacem præbuit.

Numquid Papa de Eccleſiæ ſuæ interitu trepidavit unquam vivente Eliſabethâ Reginâ? Jam trepidat, jam diem Sanctorum ſanguinis ultionis inſtare videt, irretitur, mox capiendus, hoſtis ille, an ſaltator Religionis odioſior, incertum: qui plures ſuis clavibus, quàm cæterorum principum gladii occiderunt: quam cæteri omnes potentiſſimis claſſibus, plures nationes debellavit unâ Petri ſcaphâ piſcatoriâ: hic non amplius, Deum hominéſque ludificabitur, non ſemper effugiet Dei bella gerentem Protectorem. Neque enim aut Bellarminum, credo, ab inferis excitaturus eſt in Protectorem, aut conſcripturus exercitum aliquem atramentarium, ſicut olim in Regem Jacobum. Aliud eſt acerrimum Bellatorem vincere, aliud pacificum Regem ludere.

Eat nunc invidia, quam magnarum rerum inſcitia majorem fecerit, & ex totius orbis vel formidine, vel amicitia, quod clariſſimum eſt, confiteri diſcat, videlicet, in præclariſſimis virtutibus Regum noſtrorum, tanto excellentiorem Auguſtiſſimi Protectoris eſſe gloriam, quanto illis Regnantibus, Hæreticis plus ſecuritatis erat, Orthodoxis fiduciæ minus.

Atque his de Sereniſſimo Protectore, oratione meritorum ejus imortalia decora non æquante dictis, quemadmodum hanc partem ingrediens Deputatum oravi, ut interim veluti ſecederet in umbram, ita nunc prodeat rogo, & in luce verſetur & ſi quod eſt modeſtiæ ejus numen, pacem veniámque rogo, ut hæc patiatur de patre ſuo dicta, vehementer ad propriam gloriam pertinere.

Illuſtriſſimum Deputatum tanquam præſentem alloquar.

Rogo ſupplex, ad genua veſtra provolutus rogo, quis te Deputatum fecit? nimirum ille, quem reſpublica cunctis Regibus Superiorem, ſanctiſſimum fortiſſimúmque indicans, Protectorem ſuum eſſe voluit. Voluit non quia amavit quanquam & illud quoque, ſed cauſa ſuccurrit altior, judicii, prudentiæ, neceſſitatis. Ruebat imperium in Imperatorem, ideoque reſpublica quæ non aliter ſtare potuiſſet, illum elegit,

cujus

cujus invictâ manu ſuſtentaretur.

Quemadmodum ipſe Electus eſt, ita Te elegit Deputatum. Amavit utique, ſed amavit ut filium. Quod verò elegit, quod deputavit Hiberniæ, niſi cœleſtium ingenia parum intelligam, hoc grande & conſiderati judicii opus fuit, non naturale amoris. O magnum documentum optimi magiſtratus, qui non à patre electus ſit, ſed à judice! Alium proculdubio elegiſſet, niſi ſciret meliorem in terris nullum eſſe. Ignoſcat mihi pietas tua, illuſtriſſime Deputate, ſi videar inſinuare non neceſſariam cohortationem obſervantiæ erga Patrem; à cujus naturâ vitam accepiſti, à judicio immortalitatem.

Magna hæc ſunt. Eſtne aliqua una virtus Deputati reliqua? eſtne hæc Hibernia? certè non eſſet niſi in Deputati pectore, veluti ſanctiore quodam cœleſtium donorum templo, una alia virtus eſſet, quæ tam Deputato propria eſt, tam his temporibus neceſſaria, ut eâ ſublatâ, ipſa ferè Hibernia tolleretur. *Clementiam* ejus dico.

Olim ſontibus aræ apprehenſæ; nunc bonos etiam perſequitur invidia, & metuens ſibi innocentia, Deúmque rogans ubi inveniat ſalutem, miſſâ velut è cœlo voce jubetur adire Deputatum. Hæc eſt Ara noſtra. Quotuſquiſque eſt qui non confugiens ad hanc Aram, innocentiam cum ſalute habere poſſet?

Quid

Quid enim? nonne manifeſtum eſt, multos confluxiſſe in Hiberniam, atque adeo hic olim fuiſſe, qui ſuſpicionibus & calumniis, magiſtratuum aures, & miſericordiæ exempla corrumperent, & domeſtica ſua inhumanitate cunctæ gentis humanitatem inquinarent? Hos homines quo nomine appellem? fures ſunt, publici crudeliſſimíque fures; qui vaginam ejus bono principi ſuffurari volunt: vociferantur, ſeveriùs agendum: nunquam ejus gladium reconditum eſſe debere. Nonne hi inquiunt, atque illi, ſic aliquando fecerunt? ſic loquuti ſunt? ſic etiam cogitaverunt? cave, credas: cave ignoſcas?

Heu mores! ubi vivimus? aut quem Deum, non dico palam profitemur, ſed in occulto colimus? An Ethnici ſic? an qui perſequebantur Eccleſiam? ne Trajanus quidem tanta feritate debacchatus eſt in Chriſti ſervos: qui ita Plinio reſcripſit de Chriſtianis: *Conquirendi*, inquit, *non ſunt. Si deferantur, & arguantur, puniendi ſunt. Ita tamen ut qui negaverit ſe Chriſtianum eſſe, quamvis ſuſpectus in præteritum fuerit, veniam tamen ex pœnitentiâ impetret.*

Ergo hoc fecit homo Ethnicus, nos Chriſtiani non multo magis? & ille ſine Evangelio pœnitentiam amplexus eſt: nos qui profitemur Evangelium, nullum locum pœnitentiæ relinquemus?

Laudemus ſingularem Dei providentiam, cui tanto-

cæpere clementia placet, ut hæc in Deputato, noſtro fulgere voluerit divinitatis ſuæ partem. Deus cæcis calumniis inimicus eſt. Deus periculum commune providens, ne forent in oppidis fugæ, in privatis familiis orbitates atque planctus, ne denique pleniores carceres quam Eccleſiæ, miſertus Hyberniæ in hoc deputato eſſe voluit, ubi innocentia ſalutem, quædam etiam peccata veniam ex pœnitentiâ invenirent.

Accipiſtis de Principe Clementiſſimo. At quid clementia ſine fidelitate? Quid? niſi vitrum, quod cum maxime ſplendet frangitur. Norunt illi, quibus inter falſas amicitias potentiorum obtritis, ſuſpecta omnia, nec tuta tamen. Nihil, nec ſibi inauſpicatius, nec aliis formidabilius, Principe, qui pacato vultu, cruenta memoriâ eſt apud quem nihil cretum eſt, ad præterita recurrentem, & nonnunquam ſæviorem ex gratia, dum quaſi à favore proditus, ſibi incipit iraſci, & novo genere calumniæ pœnitentiam ſuam ulciſcitur. In Deputato autem clementiæ opportunitas infinitam admirationem accipit à gratiæ fidelitate. Dubitent licet qui eum neſciant, quibus incognitus ſit animi ejus vigor, vis memoriæ, per publica negotia indefeſſo impetu dies noctesque diſcurrentis. Non utique imbecillitas memoriæ eſt, fidelitas eſt, quod peccaſſe aliquem non meminerit. Parum hoc, niſi quod nec alios meminiſſe non permittat,

quid ni? cùm ab illo ignoſci non infamiam affert, ſed innocentiam reddit.

Gratulor tibi M. Tulli, quę de J. Cęſare ſcripſiſti, ſummo omnium Imperatore, ad opportunitatem devotionis męę ſcripſiſti. Utinam jam adeſſet Excellentiſsimus Deputatus! audiret Oratorem auribus ſuis dignum, qui de J. Cæſare his verbis: Cum facile exorari Cęſar, tum ſemel exorari ſoles. Nemo unquam te placavit inimicus, qui ullas reſediſſe in te ſimultatis reliquias ſenſerit. Preclara verba! digna quę à nemine dicantur prę-terquam à Cicerone; intelligantur de nullo, niſi de Cęſare, & Deputato; clementiſsimo, fideliſſimoque Deputato, cujus potentiam injuriâ nemo ſenſit, nulli ſe unquam Deputatum poſt veniam minatus eſt.

Vereor ne conſumptis affectibus audiatis quæ nunc dicturus ſum. Monuiſſem, parceretis admirationi veſtræ: hîc intendenda eſt, in aliis virtutibus Deputati, eſſet propter quod rempublicam quieſcere deceret: Nunquam per eas incolumes, nunquam beati eſſe potuiſſemus. Ad hoc juſtitia ejus neceſſaria eſt, attendite quęſo quàm hîc excellat. Aliis virtutibus ejus multa, juſtitiæ omnia debemus.

Nam poſtquam calumnia audacior cepit eſſe quam ante, quæ non modò civilibus diſcordiis contenta, altius aſpirare pro ſua aſtutia, & Eccleſiam

in

in partes trahere, quò malitiæ reverentiam majorem ex pietate adſtruat; Si opportunitatem nacta eſſet Deputati, qui paulo crudelior eſſet, aut natura ſuſpicioſior, vel flexibili ingenio, inter juſtitiam gratiamque diviſus: quas calamitates Hibernia viſura eſſet? quæ certamina, clades, exilia? aut denique quod bellum tali pacì non prætuliſſet? Nunc quia Deputatum habemus, qui legibus, quæ communes ſunt, non privatæ cujuſquam libidini inſervit, qui medius nec dubius tamen, qui in condonandis offenſionibus ita ſpem oſtendit, ut minuat fiduciam, qui denique pietatem factionemque diſcernit, cuique id maximè viſum ſit Religionem habere, quod habeat juſtitiam: dedignatur includi affectuum meorum pietas, aliquando emittam vobis dignam vocem, Deus in hoc Deputato eſt, Deus eum elegit, Protector approbavit, hi mores hæc tempora poſtularunt.

Sæpe egomet mecum tacitus, Auditores, cogitavi; qualem quantumque eſſe oporteret, in quo probando omnium hominum, ætatum, ordinum, judicium & gratia conſpiraret. Quum mihi interea fingenti, formantique Principem, quem communis devotio ſine exceptione coleret, nunquam voto ſaltem concipere ſuccurrit, ſimilem huic quem laudamus.

Militibus aliquis gratus fuit, at civibus metuendus: ille gratiam in urbe partam, agrorum exacti-

exactionibus perdidit ; illius pietas in Ecclesiâ laudata est, in castris ignavia damnata. Postremo quid nunc nemo fere extitit, cujus gratia non aliquorum offensa delibaretur. At Deputato nostro, quanta concordia, quantusque consensus, omnium judiciorum, omnisque gloriæ contigit? ut nihil pietati ejus castrensis inertia, nihil amori civium, militum favore, nihil vectigalibus ejus rusticorum charitate detrahatur.

Jam itinera ejus per Hiberniam facta, jam obviam euntium multitudines effusæ, jam clamores in via, & quamvis in media hyeme ardentissimi affectus, contempto frigore, quod cœlum fecerat, princeps solverat ; nonne longè lateque omnibus charissimum ostentant? Multi eum non ante viderant ; alii ex frequentet viso oculorum gaudia renovare cupiebant. Omnes in via sunt ; neminem cura rei familiaris domi tenet, neminem ratio valetudinis, omittuntur in ægris medicamentorum usus, omittuntur in novis Nuptiis cæremoniæ amoris, una pietatis cura, una spectandi Principis. Qui ubicunque non aderat, solitudo & vastitas bello similis, tota circa Principem civitas erat. Acclamatio & plausus, quocunque veniret, novaque in terris tonitrua, meliora illis cœlestibus. Illo viso gratulabantur agri nuperis bellis. Lætabantur urbes incendiis suis, quorum è cineribus non talis Phœnix, sed talis Princeps nasceretur.

Sæpè

Sæpè in multitudine mortalium notitiam ejus abſtulit promiſcuus error. Jamque Principem quærentibus, cùm neque ex ſpecioſâ veſte, nec aurato equo, nec ullis imperii inſignibus, ſciri poſſet, quis eſſet Princeps, ex geſtu ejus, ex voce, ex oculis cognoverunt. Sic in media turba qui neſciebant eum eſſe Principem, tamen dignum imaginabantur qui eſſet. Quid miremur Deputatum à Protectore electum? Electus à populo eſt, nec ſemel ut alii, ſed quotidie. Quotieſcunque ſpectatur, toties eligitur.

Sic volitat ille per ora hominum. Faxit Deus ut ſine periculo, utque ejus lateri, quod ſemper nudum eſt, bona conſcientia pro munimento ſit. Nam quanto ſibi minùs timet, nos magis timemus.

Utinam ſcires, excellentiſſime Deputate, quæ de te ſecretò loquimur; quæ vota in cubiculis, in oppido, in agris, pro ſalute tuâ facimus! incipéres teipſum numerare, ac vix crederes unum eſſe, in quem tot bona congerantur, precibus empta. Subinde dubitans, Dei benignitas, an pietatis avaritia major eſſet, quæ tot Regibus ſufficerent, uni precantis. At magna infœlicitatis noſtræ pars eſt, quod nulli tam diligenter inquirunt in dicta, factaque noſtra, quàm mali Principes.

Non venis ad Eccleſiam? aut domi tenetris incommoda valetudine? Neſcis, ah neſcis, quanta

tatrepidatio pietatis noſtræ per mille ſuſpiciones errantis. Tunc occurſat animis furialis imago pugionis illius Gallici, quid in Henrico quarto tentatum, quid in Eliſabetha noſtra, quid in Jacobo Rege, quid denique in Auguſtiſſimo Patre tuo, ſuſpicioſa pietate volutamus: nec metueremus peſſima niſi in optimo. Et donec certiores facti, non eſſe vulnus, non eſſe venenum, ægrè nos recolligimus à metu, ægrè ſolatium admittimus: Adeo bonus Princeps non major publicæ lętitiæ, quàm publicæ ſollicitudinis cauſa eſt.

Parcam conſilium dare, nec vel leviter tantummodo monebo quid ſit ex uſu reipublicæ futurum, quid ex Deputati incolumitate & prudentia. Nihil ſtultius eſt quàm è Collegio Senator. Veruntamen, ſi dum alii in rebus gerendis occupati fuerint, nos in legendis aliquid obſervaverimus, liceat temeritatis notam fugere in proponendo: ut dum veſtra judicii gloria fuerit, diligentiæ venia noſtra ſit.

Tria igitur ſciſcitabor à vobis. Primò, quod cenſetis de conſilio Panſæ atque Hirtii, qui ſemper prędixerant Julio Cęſari, ut principatum armis quęſitum, armis teneret? Secundò, quid arbitramini de Cęſaris reſponſo: qui dictitabat, mori ſe, quàm timere malle. Poſtremò, conſiderate eventum: dum Cęſar clementiam quam prędiderat, expectat, incautus ab ingratis occupatus eſt.

Hæc

Hæc inquam à nobis legi, à vobis audiri poſſint. Non ſequamini rogo, dum non inania putetis eſſe. Neque enim Deputatus in periculo eſt, ſed nos in metu ; tam non poſſumus non timere, quam non poteſt ille non eſſe mortalis, non poſſunt eſſe malevoli, eſſe audaces, eſſe Jeſuitæ. Ego verò de Excel. Deputato dies noctéſque, ut debeo, cogitans, totis artubus nonnunquam contremiſcere, dum revolvam illa Ciceronis, qui Julium præſentem ſic affatus eſt : *Si* (inquit) *ad humanos caſus, incertóſque eventus valetudinis, ſceleris etiam accedat, inſidiarúmque conſenſio : quem Deum etiamſi cupiat, opitulari poſſe Reip. credamus.*

Sed fœlix Deputatus eſt, qui tam metuere dedignatur, quàm metu digna facere. Novit experimento, fideliſſimam eſſe cuſtodiam, Principis ipſius innocentiam. Hinc erudiantur Chriſtiani Principes : Nullos à vulnere, nullos à veneno tutiores eſſe, quàm qui ſuis virtutibus, aliorum precibus armati ſunt.

Quin contemnantur igitur ſatellitia, niſi quæ ad dignitatem, non ad metum majeſtas Reip. circumdederit. Armis enim arma irritantur, (ut monet Plinius) at Deputatus qui charitate & innocentiâ ſeptus eſt, incolumis vel inter Jeſuitarum ſcelera verſari poteſt.

Atque hæc de Armis obiter dicta, me in memo-

riam ingentis beneficii ducunt ejus, quod nuper in nos ab exercitu collatum, Deputati ipsius hortatu & exemplo, omnium gentium admirationem in militari benevolentiâ concitavit.

Nec injuria. Quid enim militibus cum Bibliotheca? quid hominibus sanctitatem profitentibus cum Libris Archiepiscopi superstitiosis? quantum autem tibi milites, Excellentissime Deputate, tantum nos & tibi & illis debemus. Cæteri exercitus omnes contenti vincere fuerunt: nostri milites Deputati auspiciis ultra progressi sunt, quæque rara est in castrensi disciplinâ gloria, non tam vincere quàm sapere didicerunt.

Quid consenescimus in Academiâ? & præceptorum inertium rubigine, ingeniorum nostrorum nobiles acies deterimus? Si docti, si eruditi esse volumus, induamus arma, in castrisque versemur. Optima schola est exercitus: milites nobis pro magistris, milites pro doctoribus erunt; quos Deputatus docuit primùm armorum usum, deinde laborum.

Ubi sunt jam qui errore malitiæ milites nostros indoctos arbitrentur esse, hostésque Academiæ, qui bonis artibus bellum indixerunt? Notum est apud Græcos, Herculem, quem pro militaris fortitudinis numine colebant, Musagetem appellatum esse, (1.) comitem, ducémque musarum. Hoc milites nostros legisse siquis dubitet, Bibliotheca testatur.

teſtatur. Legerunt, quia imitati ſunt : imitati ſunt quia ſuperaverunt. Quippe minus eſt quod fecerunt Græci, quod poſtea Conſtantius Cæſar ; qui ſigna Camænarum ex Ambracienſi oppido tranſlata, ſub tutelâ fortiſſimi numinis in Gallia conſecravit. Quare ita fecit? quid ſpectavit? Dicat Eumenius Rhetor, quin exercitus noſter dicat potiùs : quia mutuis operibus & præmiis juvari ornaríque deberent, Muſarum quies defenſione Herculis, & virtus Herculis voce Muſarum.

Jam pudet nominare illa præmia quæ olim Romanis exercitibus dari ſolebant. Qui poſt victoriam, ſi vel civicam coronam, vel obſidionalem, vel denique triumphalem accepiſſent, quid illis ſuperbius? Inter virorum fœminarúmque undique acclamantium plauſus, pedibus in terrâ, animis ſupra cœlos ambularent, jamque Diis ſuis immortalibus controverſiam de gloriâ facturi viderentur. In hac media pompa ſi forte exercitum noſtrum conſpexiſſent, non tam gladiis quàm libris armatum, nec coronas in capitibus ſed Bibliothecam gerentem : coronis ſuis, credo, abjectis atque ſpretis, nova ambitione hujus gloriæ, ſic redimiri, ſic incedere optarent.

Pergat invictiſſimus exercitus, rudimenta hæc liberalitatis ſuæ, ut cogitat, abſolvere, faſtigiumq; imponere. Jam fervet Dei gratia : Angelus aquas turbat : quid ceſſatis nova Collegia ædificare?

ut ſint novi Socii, novi diſcipuli, à quibus hæc Libraria legatur, à quibus intelligatur.

Hunc igitur Exercitium, ejúſque Ducem ſacratiſſimum, Deputatum, nonne venerabimur? non ſolùm ſacramento ejus jurantes, ſed ei nomina noſtra dantes: ut quemadmodum Eccleſia ad miſeriæ ſuæ ſignificationem militaris dicta ſit: Nos contra meliore omine, Bibliothecam militarem, Collegium militare appellemus.

Sunt qui mirantur Ptolomæi Philadelphi Libraríam Alexandrinam. Quid? an huic noſtræ præponenda eſt? eſt ſcilicet numero librorum; legimus enim in Joſepho circa ducenta millia Librorum ibi congeſta, ad ſpectatorum augendam admirationem, deterrendam induſtriam. Nimio plus multi ſunt quam ad eruditorum uſum; nimio plus pauci quam ad Regis vani delicias, qui gentes omnes tanquam literarum triumphator ſpoliaverat, non quò animus ſuus excultior eſſet; ſed civitas ornatior: Parietes literatos faciebat, non ſeipſum.

Ergo numero Librorum cedimus, virtute ſuperamus. Nec erubeſcimus iſti uni libro Legis Moſaicæ (in quo Regius emptor ſine interprete nihil intelligebat niſi pretium) tot noſtra Evangelia, tot ſcientias, tot linguas, tot volumina, Armachani ipſius teſtantia propriam induſtriam, Lunæ comitem, Solis ducem, quæ vel ipſa Bibliothecam

thecam conficerent : Ptolomæi Philoſophiis ſpe-
regrinis anteponere.

Quocirca Ptolomæus oſtentator, nec ſapientior Demetrius Phalareus, Præfectus ejus Librariæ, homo ad Regis ſui curioſitatem mirè appoſitus. Gloriatus eſt enim apud Regem, ſe brevi collecturum ad quingenta millia. Infœliciſſimus futurus, ſi quot habeat, vel ſemel legere cogatur.

Credite mihi, Auditores, ſi me clementiſſimus Deputatus interrogaret, ſi exercitus : non ſolùm hanc librariam Alexandrinæ pręponerem, ſed me hujus, quam illius, Prefectum eſſe malle, reſponderem.

Hæc generatim ; hæc ad alios complures. Quod ſit proprium cauſæ noſtræ, quod pertineat ad emolumentum, uſúmque Collegii ; poſſúmne aliquid commemorare, aliquid oſtendere à Deputato factum eſſe tanti, vel videatur exceſſiſſe principum ſuperiorum munificentiam ? Nam niſi hoc oſtendero, excidam profeſſione meâ. Niſi quod ſummum eſt fecerit nihil feciſſe concedam. Ergo hìc nulla erit arbitrii mei arrogantia, vos judices appello.

Eliſabethæ Reginæ memoriam ſacratiſſimam habemus, ſemperque habebimus, ut par eſt. Sed quæ fundavit hoc Collegium, num fundavit pariter ingenia noſtra ? num hanc tantum excellentiam ; pręſertim majorum noſtrorum in ſcientiis,

in linguis, in religione fundavit?

Fundavit Collegium ſed vacuum, ſed inornatum. Poſtquam lacertos movere, & caput immortale extollere cœpiſſet, quum ingentia virtutis nomina Bedleios, Templos, Capellos, Armachanum ante omnes in lucem in laudem peperiſſet: quod Eliſabetha fundavit Collegium, Deputatus conſervavit.

Eſto non minor ſit rudis Collegii fundati fama, quàm nobilis conſervati. Quid ergo? nonne in comparatione vincitur Regina, alioquin invictiſſima? quod Deputatus ſine Reginæ operâ fundare Collegium potuerit: Illa Collegium quod fundarat, ſine Deputati favore non potuerit ſervare. Ignoſcite mihi quicunque eſtis Regii beatíque manes: nolim inquietet veſtros cineres vel minima adulationis meæ umbra; nolim detrahi Reginæ gloriæ, quæ æterna eſt. Amplificare eam velim & extollere. Dico Eliſabetham totius orbis meritam imperium; dico dignam quæ fundaret Collegium, quod à Deputato ſervaretur.

Reſtat ut poſtremo loco ad ea benificia quæ unius Excellentiſſimi Deputati magnificentiæ debentur, continuato non dicendi tenore ſed admirandi, noſtra cœleſti ſuo pondere oppreſſa dilabatur oratio.

Nemo veſtrum eſt, ut opinor, tam rudis in Rep. cujus auribus non ſæpe multumque intonuit

Literarum

Literarum illarum fama quas misit ad Cantabrigiam Jacobus Rex Laureatas, in quibus anno abhinc 41 ad Academiam perlatis, præcinente tubâ, his verbis scriptum est. Hæc ejus (oppidi) fuerint, privilegia, Academiæ dignitatem comiter observare. Deinde, & Literatorum honori ancillari. En quo amore Jacobus, vel ut verius dicam, quo judicio? Satis ad honorem oppidi putat esse, si tanquam Ancillam Dominam suam Academiam revereatur. Porro illa divina. Alma scientiarum Mater (inquit) nostro fovebitur sceptro: indefessa illius fæcunditas non abortiet ad Prętorii gladii terriculum: Nullum honoris titulum Cantabrigiæ concedimus, qui cum Academiæ sollicitudine conjunctus sit.

Dicet quispiam; Ergo hæc Jacobus Rex: & audes cum illius in Academiam amore, Deputati famam, qui nihil tale fecit, comparare? Date vos æquos judices: Nihil tale fecit Deputatus; minus esset si feciſſet. Quædam privilegia onerosa sunt & superba. Quæ dari nequeant salvo judicio sæculi, accepisse pudeat.

Nihil tale fecit, potuit tamen. Nulla tanta munificentiæ laus est, quàm quæ in magnæ potentiæ moderatione cernitur. Nisi Dei laudes parùm intelligam, vel hinc etiam Numinis veneratio exurgat, non solùm quia fecit hunc mundum, sed etiam quia non fecit omnes alios, quos potuisset.

Denique Excellentiſ. Deputatus nihil tale fecit: at fortaſſe facturus eſt. Quis non videt hoc ad laudationum ejus cumulum accedere, ut putetur feciſſe quęcunque facturus exiſtimetur. Nulla tam ſolida privilegia ſunt quàm ea, ad quæ non favore magis quam tempore aſcenditur. Eant homines & ſolem objurgent, quod non omnes dies ſimul effuderit uno impetu non renovandi fulgoris, ſed poſteritatis expectationi ſpem aliquam reliquerit annorum per ſolitas vices recurrentium, & frugum ex arboribus, fructuum è terrâ: quinetiam ipſius terræ, neſcio in aliis ſui partibus, an aliquando explicaturæ novas gentes, in aliis ſubducturæ. Tunc in Deputato querantur, quod beneficia ſua in Academiam voluerit, non omnia præterita eſſe, quædam etiam Ventura.

Nunc redeo ad judicia veſtra auditores. Qua veneratione Deput. putetis, quibus monumentis omnium ingeniorum, & privatis & publicis celebrandum? In aliis principibus quæ fecerunt, laudamus, in Deputato miramur etiam quæ non fecit, quod nondum Mater Academia Prætorii gladii terroribus liberata ſit, nondum abortiendi periculo, nonne hæc in ſummâ potentia ſummæ moderationis laudibus ſuffragantur? nonne teſtificantur, atque clamant, Jacobi gloriâ, quæ maxima eſt, eſſe aliquam majorem? nonne Deputatum eminentiſſimo fulgore eſſe? nonne cum, cujus interim ceſſans,

nec

nec ad plenum explicata virtus, Regalis potentiæ vires ultimas ſuperavit?

Sed ut unum ex iis quæ infinito amore in Academiam nuper fecit, commemorem. Meminiſtis credo, quæ præcepit de cæremoniis in Academiam tanquam Poſtliminio reſtituendis. Quæ mandata illius, in ſenatu Academico, à Reverendiſſimo, eruditiſſimóque viro Domino Doctore Loftuſio accepimus, Oratione ejus rei per ſe gratiſſimæ duplicante gratiam, dum nullum niſi comptum ornatumque verbum excideret de Cęremoniis dicenti.

Audiat hoc Reſp. audiat Eccleſia, Deputatus excellentiſſimus, legitimis ceremoniis in Academiam revocandis, non opprimere voluit, non eruentare conſcientias noſtras, ſed ſuperſtitionem funditus evellere. Quis credat? quædam ſunt quæ in univerſum credi; at certorum hominum minus intereſt. Tollite Cęremonias, hoc multis optatiſſimum, id ſuperſtitio deſiderat, ſecurior erit ſublatis iis, quibus admotis redarguatur. Nimio quam vellem aſtuta ſuperſtitio eſt, vultis illam deregere? Ad pileum aut Togam tanquam veſtem Babylonicam ruborem ejus obſervate, vel potius ſtuporem, cui pro ratione Conſcientia eſt: Suſpecta conſcientia eſt, quæ abſolvi vult, cauſam non vult dicere.

Credite mihi Auditores, mihi Philoſophorum, mihi priſcæ Eccleſiæ judicio imitanti, nulli verius ſuper-

ſuperſtitioſi ſunt, quàm qui ſine cauſâ metuunt Deum offendere, pudet dicere dicendum tamen. Imperitia Grammaticæ Eccleſiam turbavit

Quia magis Religioſi quàm docti videri volumus (utinam eſſemus) in ſuperſtitionis quam damnamus, laqueum incidimus, quem non putamus. Quid enim eſt ſuperſttitio? quid niſi (ut olim definita eſt) ſuperſtantium rerum, *i.* cœleſtium & divinarum nimius & ſuperfluus timor?

Iniqui divinæ gratiæ æſtimatores ſumus, niſi vel hoc ceremoniarum Academicarum argumento; De Religione Deputati noſtri Deo O. M. gratulemur. Quæ ſimplices, quæ legitimæ ſunt reduxit, ita oſtendit ſuperſtitionis odium. Sed quanta conſcientiarum fuerit indulgentiæ noſtrarum, vel hinc apparet, quod non omnes revocaverit, rationem aliquam habere Infirmitatis noſtræ viſus eſt. Quanquam miſera Academia eſt, quæ infimitate defenditur, quæque literarum tot Luminibus neglectis, conſcientiæ (haud rectè dictæ) ſolum candelabrum ſuæ ſequitur, errans & impingens, tandemque in arcem fugit, quam ab indoctis & mulierculis occupatam ſapientes & ſancti omni ætate contempſerunt.

Poſſim oſtendere de Ceremonia Academicâ Lavacri, quid Nazianzenus, quid Junius, quid alii, memoriæ prodiderunt. Adeſte mihi quotquot eſtis ſcrupulorum Mecenates, ingrati in bona ve

ſtra-

ſtra. Dicite, quid ſi illuſtriſſimus Deputatus ex more veteris Academiæ Edicto caviſſet, ne quis gradum ſuſciperet, antequam baptizaretur? Heu! quæ tunc videremus diſſidia, quæ certamina Chriſtianorum? aliis in lavacrum ruere properantibus, aliis præoptantibus mori: Dum hi clament, pollutos eſſe ſi laviſſent: Illi, pollutos eſſe niſi laviſſent.

Cum igitur Ceremoniæ quas Excellentiſſimus Deputatus revocari voluit, ad conciliandam concordiam, & ſuperſtitionem abolendam ſpectent, diſcamus modeſtiam excolere, & æquis animis quæ ferenda ſunt ferre, ne recuſatione innocentium rituum, & veteribus probatorum, juſto Dei judicio ad graviora cogamur. Nulla vehementior Dei offenſio eſt, quàm animi metuentis quæ non metuenda ſunt, voluntaria & ſuperſtitioſa Laſcivia. Hęc quęſo plenis pectoribus haurite, hæc meditamini, nec leviter tantæ rei inſiſtite, non fucoſa ſunt, ſi aſperiora, pati aſſueſcite: ex horridis miteſcere incipient & in voluptatem uſu venient. Alioquin veniet fortaſſe dies ille, ille dies, cum mirabimur omnia ſub aquis eſſe; & novo diluvio Academiam tentari. Nulla eſt quæ ſera pœnitentia eſt. Tum fruſtra confitebimur, hæc noſtra ſuperſtitio fuit, ſic Deus punit Academiam, dum Pilei metum ulciſcitur renovatione lavacri.

Ex his, quæ à me impolita oratione & materiæ

ſuę

ſuæ ſplendore attonita, ſanctiſſimo affectu dicta ſunt, video poſſe colligi, Illuſtriſſimum ac pene divinum quendam eſſe Deputatum noſtrum, Qui unus omnium beatiſſimus eſſet, niſi nos in eodem jure poſuiſſet, quibus talem habere contigit. Quid enim rerum omnium illi deeſt? An ad animæ ſuæ ſolatia quicquam? Adſpiciat Eccleſiam, quam gubernat. An ad civilem gloriam quicquam? Adſpiciat Remp. quam ordinavit. Deſunt à quibus præclara hæc ejus decora verborum facundiâ celebrentur? Ergo periit Collegium quod ſervavit? Extincta eſt Academia, cui preſidet? Tot literæ, tot linguæ conticeſcent in novâ Bibliothecâ quam donavit. Deſinat mortalis eſſe, Anguſtus ei mundus eſt, quiſquis aliquid deſiderat ultra famam, cujus finem, ſolus Hibernię interitus videbit.

Atq; hîc ſi rerum cœleſtium ulla poſſet eſſe juſta reprehenſio, neſcio an Deputatus noſter in tantâ fœlicitate ſuâ, tantoque fortunæ culmine, vel ob hoc unum vituperari poſſit, quod non contentus Patris ſui gloriâ ſit, ſed inſuper propriis virtutibus, propriis ornamentis non confitentibus alienam gratiam, elaboret, atque certet, ut ſummus Princeps habeatur, etiam ſi filius non eſſet. Utinam ſatis modeſtè poſſem, orarem, intermittat aliquando vehementem illum gloriæ curſum: detur apud ſe nonnunquam aliquid voluptati, aliquid otio. An neſciat, quàm periculoſa res ſit excellentis inter

alios

alios virtutis opinio? ut cætera omittam, hoc unum inevitabile malum affert magna virtus, ut bono Principi regnum minetur. Ultro oblatum Regis nomen ſemel repulit Protector. Perpetuóne in familiâ veſtrâ has repulſas populus feret? Hæc loquens eò magis inhorreſco, quòd memoria teneam, quæ Seneca de divinæ providentiæ conſuetudine, neſcio an divinitùs afflatus his verbis tradidit. Sunt, inquit, hi Reges, quia Majores ipſorum non fuerunt, quia pro ſummo Imperio habuerunt Juſtitiam, abſtinentiam, quia non Remp. ſibi, ſed ſe Reip. dedicaverunt. Multum videt Seneca, ſed non omnia. Sunt hi Reges, inquit, quia majores ipſorum non fuerunt? quid futurum eſt iis, quorum parentes eſſe noluerunt? O altam ſapientiæ Dei opulentiam! qui facere ſolet ut Coronæ ſæpenumero non transferantur ad poſteros, ſed rejiciantur: digni, qui à Deo ipſo eligantur, qui ab hominibus noluerint.

Hinc diſcant terrarum Principes pudorem, quando nulla certior hæreditas ſit, quam contempti imperii.

Hinc Excellentiſſimus Deputatus quoque documentum capiat, & dum bona ætas eſt, dum licet, dum nondum membra ejus viridantia curarum æſtus præfloraverit diſcat ſibi parcere, temperare vigiliis, cum libertate ſua, quæ quam exigua ſit, quis non videt, benè convenire. Hæc ſola ſecreta, quæ

quæ magni Principes ignorant. Sibi mortuus eſt, quiſquis Reip. vivat. Cętera ut lubet, hoc de illo Poſtremum. Magno animo eſt, qui ita vivit ut non metuat regnum : majore, ut non cupiat.

Quocirca converſis ad Deum immortalem oculíſque & animis, omnia ejus manu, per quam iverunt, gubernari, ſuavitérque dirigi fateamur. Illum vitam & mortem, pacem & bellum condidiſſe; neque hęc civilia bella noſtra ſine ejus ſingulari miſericordia contingere potuiſſe. Salvete clades noſtrę, ſalvete peſtes, incendia, rapinę. Quę primùm vel cogitando exhorruiſſemus, eorum eventu lętemur. Deum in rubo ardenti eſſe quis credidiſſet? Moſes credidit, in igne Deum vidit, ejúſque clementiam.

Circa quindecim ab hinc annos, qui videret robuſtiſſimum Peditatum, Equitatúmque, florem nobilitatis, ſplendorem Anglię, atque in horum capite indignantem Carolum, Coronam in capite in manu gladium tenentem, quem inter oſcula & lacrymas armatum Regina in aciem ſuis auſpiciis emiſerat : Cogitaret majores ſuos, & quos peperiſſet, ſi hominum auxilia deeſſent, Deum & Angelos ad futuros, ſimul uxoris ſuę Genium, non tantum in amore potentiſſimum. Qui inquam hęc ita videret unquamne induxiſſet animum ut crederet, in tanta concuſſę Britannię trepidatione, in tantâ caligine totius imperii de fato ſuo dubitantis,

dubitantis, Deum horrendo illo providentię ſuæ ludo, nihil aliud voluiſſe, decreviſſe nihil, niſi ut admirabili exitu hanc Remp. hunc Protectorem, hunc Deputatum haberemus ?

Is Deus obedientiam noſtram dirigat : judicia ut ſibi viſum fuerit flectat, ſuóque ſpiritu ad ſe rapiente omnia, faciat, ut in rebus ad Eccleſiam noſtram atque ad hanc Remp. pertinentibus, cœlum & terra uno judicio, unâ voluntate conſentiant. Qui Deus inaſpectabilis es, ſaltem imaginis tuæ adſpiciendæ nobis facultatem dare velis. Habes ad hoc idonea in terris ſpecula. Videamus te in Protectore noſtro, ejus dictis, factíſque omnibus. Te atque illum in Deputato cernamus. Dum tuam gloriam conſervent, ipſi glorioſi ſint ; dum tuam potentiam agnoſcunt, confirmentur. Tandémque perducantur ad tuum cœleſte regnum, quia nihil in humanis regnis eſt, quod non alter fortiter rejicerit, alter æquè rejicere paratus ſit, niſi providentia tua , in cujus arcana penetrare ſummum nefas eſt, in hoc vel illo, aut forſitan ambobus, pro ſuâ ſapientiâ, potentiâ atque gloriâ aliter conſtituerit.

234732

FINIS.

NATIONAL
LIBRARY OF
IRELAND